



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Stanislaus Ep. M. 11. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

II. April. VITÆ SANCTORVM. 187
amavit? Non nisi in cryptâ eidem dicatâ sepeliri
voluit. Et verò ubi mollius ossa nostra jacerent,
quàm in sinu MARIÆ? *Ex Sur. & Bav. S.*

*Bonum mihi Domine tribulari, dummodo ipse sis
mecum, quàm regnare sine te, epulari sine te, sine te glo-
riari. Bonum in tribulatione magis amplecti te, in ca-
mino habere te mecum, quàm esse sine te vel in calo.*
S. Bern. serm. 17. Qui habit.

S. STANISLAUS EP. M. II. Aprilis.

Iustitia præfides multos habet, Patronos pau-
cos. STANISLAUS aded Cracoviensis Antistes
mortuum citare testem coactus est, ne optimâ
causâ caderet. Prædium à Petro viro nobili em-
ptum, fraude amicorum ejusdem propè perdide-
rat, nisi illum ipsum Petrum, triennio antè defun-
ctum, ad Judices redivivum adduxisset, quem ne-
mo vel intestabilem ausus est dicere, vel refutare.
Vitiorem severus vindex semper audit, ignarus
regulam flectere, seu pauperum tabernas, seu re-
gum palatia metiretur. In omnem peccandi licen-
tiam Bolelaus Rex prouerat, quem nequicquam
admonitum STANISLAUS piorum tribu movit.
Non erat Rex huic probro concoquendo; sed vin-
dictam spirans, satellitibus ad aram stantem, victi-
mam objicit, iisque tertium divinâ virtute vim
afferre prohibitis, ipse carnificis munus occupat,
& laniati à se Antistitis membra dispergit. Dam-
narunt crudelitatem quatuor Aquilæ perpetuis
excubiis reliquias tutatæ; donec miraculo cæle-
stique luce exciti mortales eas in urnam compo-
nendas legerunt. Juvit pietatem divina manus, la-
cerosque inter se artus ita colligavit, ut nullum
crudelitatis vestigium superesset. Non sustinuit
impious

impious Rex tam luculentam insanix suæ exprobrationem; sed regnum exilio mutavit, omnium hominum odium; cum STANISLAI triumphum etiam Aquilæ augerent. *Ex Surio.*

Nunc dum mundus arridet, dum carnis sanitas fervet, dum prosperitas terrena demulcet, quæ post ista sequantur, excogita, & quæcunque transitoria sunt, altiori consilio jam transisse decerne, & velut ludificatorix illusionis somnium deputa. S.Dam.l.8.ep.8.

S. GUTHLACUS C. II. Aprilis.

GVTHLACVS regio fatu nobilis, circa salutis annum DCC.VI. castra solitudine, sagumque sacco mutavit. Sedem sibi legerat expertem humani cultûs Insulam, quam perpetuis turbis ita infestam dæmones reddidere, ut consilium fuerit, statione decedere, nisi opportunis auxiliis D. Bartholomæus patronus ac tutor confirmasset. Corruptum aliquando ad inferos abstraxerant iidem turbatores, ubi oculis objectâ æternorum ignium atrocitate, minati sunt, nisi Insulâ faceffere vellet, continuò præcipitandum. Gnarus GVTHLACVS nihil ultra minas posse, ausus est vel in hostico abnuere. Ex eo tempore quot diebus ab Angelo tutelari sub diei noctisque crepusculum visebatur, novasque contra increbescentem hostium impetum vires accipiebat. Discipulo, qui ei necem moliebatur, mentis arcanum aperuit: pro quo preces ad Deum fundere non destitit, quoad certam ei salutem impetravit. Eidemque triumphum suum ostendit mortuus, ejus pompæ pars fuit ignea turris à terrâ in cælum pertinens. Ethelbado Regi exuli per speciem objectus regni restituendi nuncius fuit. Qui receptis potestatis insignibus